F. XIII. 8 17

502

17

XL.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA PRACTICA
Siſtens

ÆGRUM HÆMOPTYSI PERIODICA LABORANTEM,

Quam
SUMMO ADSPIRANTE NUMINE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATUS
HEREDE, AC RELIQUA,
IUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. DECANI,
PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS
ſui ætatem colendi,

PRO LICENTIA
Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia
legitime capeſſendi,
Ad d. XVII. Jun. MDCXCIX horis ante- & pomeridianis
Publicæ Eruditorum disquiſitioni proponet

GEORGIUS DANIEL COSCHWITIUS,
Chonez Pomerell.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Chriſtiani Henckelii, Acad. Typ.

T. 8 7

VIRIS
Generoſis, Nobiliſſimis, atque
Ampliſſimis,
DOMINIS CONSILIARIIS DISTRI-
CTUS STOLPENSIS PROVINCIALIS,
EJUSQUE DIRECTORIBUS,

Nec non
VIRIS
Amplisſimis, Doctisſimis ac Conſultisſimis
Dominis,
CONSULIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,
ET
SENATORIBUS, CIVITATIS
STOLPENSIS PROVINCIALIS CITERIORI,
Patronis, & Fautoribus omni obſervantiæ
cultu proſequendis,

Diſputationem hanc Inauguralem
conſecrat Reſpondens
GEORGIUS DANIEL COSCHWITIUS.

50242
Ex Libris Th: Renz

VIr 26. annorum tempera-
menti Cholerico-ſangvi-
nei, in juventute Hæ-
morrhagias narium ſæpi-
us expertus, iisque ſubſi-
ſtentibus, gravibus capitis doloribus af-
fectus, ætate adoleſcente corpus ſalta-
tionis exercitio exponit; incipit dolo-
ribus ſpasmodicis circa pectus & hu-
meros infeſtari; ante duos vero annos, of-
ficio publico eccleſiaſtico gaudens; per-
acta concione incipit cum levi tuſſi, ſan-
gvinẽ floridum & ſpumidũ per os ejicere,
adeo ut ferè una vice Sangvinis dimidi-
am menſuram exſpueret; durabat affe-
ctus aliquot horis, recurrendo, per duo-
rum vel trium dierum decurſum; & fe-
re citra medicationem ceſſabat; menſis
verò ſpatio transgreſſo affectus recur-

rit; & adhibitis medicamentis ſangvinem ſiſtentibus, iterum duorum dierum ſpatio ceſſat, altero vero recurrente menſe recurrebat affectus; & ita per ſesquiannum progreditur, ut ſemper ſingulis quatuor, aut ad ſummum ſex ſeptimanis recurrat; de cætero Patiens extra tempus Paroxyſmi neque tusſim, neque dolores in Pectore ſentiebat, nec reſpiratio difficilis reddebatur; appetitus, ſomnus, & alvi dejectiones, in ſtatu naturali permanebant; ſputum vero excernebat nec cruentum, nec purulentum; ſed, præſertim matutino tempore tenax, ex albo tamen paululum flaveſcens, & ſi per noctem aſſervabatur, fœtidum odorem referens p. c.

§. I.

AD caſus propoſiti reſolutionem, dum nos accingimus, primò affectus occurrit denominatio, quem Hæmoptyſin vocamus.

§. II.

Vocabulum Hæmoptyſeos ex græca derivatur linguâ; com-

componitur ex, τὸ ἅιμα ſangvis, & πτύσις ſputum, & latinis ſignificat ſputum ſanguinis, Germanis das Blut-Speyen. Galeno dicitur ἀναγωγὴ τȣ̃ ἅιματος, i. e. aſcenſio, ſeu ſurſum eductio ſanguinis.

§. III.

Definitur affectus noſter quod ſit *copioſa* exſpuiti ſangvinis, *floridi*, & *ſpumidi*; è pulmonibus, *cum vel ſine tuſſi* præcedente, prorumpentis.

§. IV.

Antequam autem ipſam affectus tractationem aggredimur, neceſſarium arbitramur, ut paucula de diverſis *ſangvinis fluxibus*, eorumque convenientia cum *ætate*, *temperamento*, aliisque circumſtantiis præmittamus.

§. V.

Differunt itaque *Hæmorrhagiæ*, ratione *loci* excretionis, primò ſecundum *ætatem*; ubi *narium* hæmorrhagia, communiùs, imo *ordinariè*, contingit in *junioribus*, ab anno 7. ad 14. vel 20. quo tempore etiam familiariores ſunt *Cephalalgiæ Ophthalmiæ*, & faciei Eryſipelata, ſi hæ hæmorrhagiæ vel plane non prorumpant, vel jam quotannis ſæpius erumpere *aſſvetæ*, ſubſiſtant, præſente tamen temperamento *Cholerico-ſangvineo*, aut *Sangvineo-Melancholico*, & ſtatu ſangvinis *plethorico*.

§. VI.

Sub *medium*, aut *finem tertii* annorum *ſeptenarii*, *ſpasmi*, & ſangvinis profluvia à natura transferuntur ad *pectoris* confinia; unde tunc temporis Patientes magis conqueruntur de motibus *ſpasmodicis* circà *humeros*, & ut vulgus exprimit, über Flüße am Halß und in den Gliedern / Achſeln 2c. es ziehe ihnen ein ſcorbutiſch Geblüthe in den Gliedern herum: vel *prorumpente* actuali hæmorrhagia de *Hæmoptyſi*, & ex hac facillimè ſubſequente Phthiſi; aut cum *febrilibus æſtibus* oboriente *Pleuritide*, & *Peripnevmonia*.

§. VII.

Ulterius verò progredientibus annis, tranſeunt etiam molimina ſangvinis excretoria ad *Venam Portæ*; quam obrem tunc temporis copioſius in praxi obſervantur *Hæmorrhoides*: vel *Mictus* quoque *cruentus*: aut his non proſilientibꝰ, *Nephritis*, *Splenis* infarctꝰ, *affectus arhtritici fixi* &c. de quibus plura videre licet, in variis academicis & inauguralibus diſſertationibus, ad mentem *D. D. Præſidis*, & ſub ejus præſidio, habitis, & præcipuè quidem, de *Fundamento morborum ætatum*, & in recentiſſimâ de *Pathologiæ Fundamentis ex Praxi*.

§. VIII.

Ratione *temperamentorum*, ad hæmorrhagias proniores obſervantur *Sangvinei* & *Cholerici*, & ex his, & *Melancholico*, mixti: in aliis enim temperamentis, hæmorrhagiæ non æque promptê procedunt; vel propter *ſanguinis* mucorem, & Naturæ minorem activitatem, ut in *Phlegmaticis*: vel ob ejus *craſſitiem*, & corporis habitum *ſtrictiorem*, quale quid contingit in purioribus *Melancholicis*: Præprimis autem, inter omnes circumſtantias concurrentes, ad ſangvinis profluvia expectanda, requiritur *Status Plethoricus*; deficiente enim *materia*, propter quam motus & evacuatio inſtitui debent, deficit utplurimum etiam *effectus*.

§. IX.

Vicaria vero *plethoræ*, eſt *conſvetudo* evacuationum ſangvinis ſincerarum; Unde non modo in genere hic valet, quod in modo allegata diſputatione de *Path. fund. ex Praxi* ita notatum eſt, nempe quod hinc inde aliquot centeni *plethorici* occurrant, qui tamen per longisſima tempora commodè vivant; cum contrà inter centum, *ſangvinis evacuationibus aſſuefactos*, vix unus aut alter reperiatur, qui non, *neglectâ* aut *ſuppreſſâ* tali imminutione,

ne, mature, *gravia*, *pertinacia*, *recurrentia*, incommoda, pathemata, imò ſæpe magna *pericula* gravium affectuum experiatur.

§. X.

Exemplo ſunt *fœminæ* præſertim, hæ enim propterea, quod *menſtruis* evacuationibus aſſveverint, ſi hac ætate hæ ipſis ſupprimantur, facillima ſane, & velut ordinaria experiuntur ejusmodi incommoda, modo ad *caput*, modò ad *pectus*, modò ad *ventriculum* fientium ejusmodi regurgitationum imò *eruptionum*. A quarum prioribus, *Cephalalgiæ* & & *Hæmicraniæ*, *aſthmata convulſiva* & *ſuffocationes*, familiariſſimè vero pectoris *oppletiones* ê levi motu: *nauſeæ*, *cardialgiæ*, *vomituritiones*, *ructus*, *dyſpepſiæ*, *tormina* &c. ipſis prognaſcuntur, promptius quam viris: tum â poſteriori *narium* hæmorrhagiæ, *hæmoptyſes vomitus cruenti* ſuboriuntur.

§. XI.

Neque vero hoc tam tum ſimpliciter, ſed æmulatur ſubinde ipſa talis vicaria eruptio, *periodos ſeu ſtata tempora*, præ greſſarum ordinariarum *menſtruarum* hæmorrhagiarum: quin imò in ipſis *Viris* aliquando *menſtruas*, aliquando ad minimum alias *exquiſitas* temporis *periodos* adſciscunt, & ſemel ſuſceptas ſervant deinde, non aliter ac ſi ita fieri quam maxime debuisſet. Pertinet ad hanc claſſem, præcipue noſter caſus, quem proinde mox aggredimur.

§. XII.

Subjungimus tamen antea pauca de *modo*, quo tales *translationes*, *ſtatæ* præſertim ad unum talem *locum*, fieri poſſunt. Non eſt hic utique in causâ *pulſus*. Licet enim ad ejusmodi translatorias eruptiones inclinantibus, non rarò *palpitationes cordis* eveniant; vix tamen unquam ob-

obſervatur, ſub ipſa *palpitatione*, ulla talis *eruptio* contingere, ſed potius diverſo planè tempore, multis etiam planè *ignotâ* palpitatione dicta.

§. XIII.

Tonico vero, *ſpaſtico* motu, tum vicinarum & conjugatarum, tum oppoſitarum poroſarum partium, fit admodum familiariter æque, atque efficaciter, hæc translatio. Unde quidem eſt, quod hujusmodi patientes, vel ſimpliciter primam hujus generis eruptionem, vel ipſas omnino recidivas ejus, parturientes, tum de *ſpaſticis* compreſſionibus *thoracis*, tum de *tractionibus*, *preſſionibus*, *rigoribus*, *colli*, *ſcapularum*, *humerorum*: tum de *dolorificis* ſæpe harum partium *vellicationibus*, frequenter conquerantur. Conſpicuum hoc eſt iterum eminenter, in *fœminis* longè magis quam *viris*; ſiquidem illarum manifeſtiſſimè *ſpaſmodica* hyſterico-hypochondriaca pathemata rem ſatis luculenter eloquuntur: Sed tamen in ipſis quoque *viris* frequentiſſime ejusmodi ſpaſticorum motuum phœnomena, imo graves hujus generis paſſiones *arthritico-rhevmaticæ*, ea quæ de hoc negotio dicimus, abunde probant & confirmant.

§. XIV.

Communiſſimum hujus generis, & familiarisſimum hiſce patientibus, ſymptoma, eſt *gravitas* illa, *tenſiva* ſanè præprimis in artubus, de qua admodum frequenter conqueruntur, maximè vero omnium illis *temporibis*, quibus præcipua aliqua *exacerbatio* eruptionum illarum ipſis imminet: unde vernacula exprimere ſolent, **Sie haben es ſchon etliche Tage an ſich geſpühret; Es ſey ihnen in den Gliedern gelegen wie Bley** / &c.

§. XV.

Quæ omnia *motibus* ſanè potius, verſus ejusmodi *locum* directis, adſcribimus, quam *obſtructionibus*. Excipimus

mus tamen illas *obſtructiones*, quas authores aliqui ê tali, verſus certam partem, congeſtione, ſupponere videntur: quod nempe ex ejusmodi regurgitatione verſ9 talẽ partem & *reſtagnatione* ſanguinis intra eandem, talis, ut ipſi interpretantur, *obſtructio* fiat, quæ ultimo *perruptionem* inferat: quamvis enim hæc ipſa ſuppoſitio non pauca expoſitione egeat, ut conceptum realem ſubire posſit; præcipuè circa differentiam *ſtagnationis*, (quæ etiam rei adhuc *mobili*, imo leniter motæ, ſeu *progredienti* evenire poteſt) & *ſtaſeos*: & circa diverſitatem eruptionis ejus *materiæ*, quæ actu *obſtructionem* intulit; & contra ejus, quæ ab iſta ſaltem in ſui progreſſu *impedita* fuit, &c. poteſt tamen commoda explicatione ad meliorem conceptum flecti, quod ſi fiat, ut cum phænomenis in *practica* obſervatione occurrentibus conciliari poſſit, conſentient ſtatim inter ſe illa & noſtra expoſitio.

§. XVI.

His ita prælibatis, aggredimur *explicationem* affectus in allata hiſtoria comprehenſi. *Diagnoſin* itaque morbi, tam ex *loco* excretionis, tam ex ſanguinis excreti *colore*, & *conſiſtentia*, quam etiam ex *tuſſi* conjuncta & ipſius ſangvinis cum ſcreatu & *tuſſi*, ejectione e *ſpiritalibus* omnino organis, & doloris infra Diaphragma abſentiâ, colligimus, quemadmodum *Divus Senex* in *Coac. prænot.* animadvertit, quod ii qui ſanguinem *ſpumoſum* vomunt, dolore infra *ſeptum* transverſum non exiſtente, de ***Pulmone*** vomant.

§. XVII.

Differt tamen â *ſputo cruento*, quod hoc ſit *ſputum* ſangvine ſaltem ſtriatum, non ex profundo, ſed ſcreatu ſolum, ex *infundibulo*, & altioribus partibus *faucium*, prorumpens; *Hæmoptyſis* vero, ex *profundo*, & magis *tacite*,

ſæpius ſine *prægreſſa*, nunquam autem ſine *conjuncta tuſſi, copioſe* & confertim, procedat. Sicut etiam *ſputum cruentum*, ab *hæmoptyſi*, verâ & ſtrictè dictâ, communiter plurimum differre ſolet, *quantitate*, quæ in *ſputo* quidem, exigua aut tamen longe *minor*, quam in *hæmoptyſi*, exiſtit. Ut adeo neque ex ipſis *pulmonibus* utique, cum *multo ſputò* prorumpentes *ſtriæ* ſangvinis, in *peripnevmonia*, ſtrictiore acceptione *hæmoptyſeos* nomine notari mereantur.

§. XVII.

Diverſitas utrorumque, diverſos etiam effectus, aut certum gradum differentem, inducit; ſiquidem ab *hæmoptyſi*, non modo *recidivæ* major eſt metus, quam â *ſputo cruento peripnevmonicorum*: quoniam ab *inflammatione prompta conſolidatio*, & firma, longe facilius ſuccedit quam â nuda *laceratione*, & leviſſima inde nata ſtaſi; ſed tanto magis quoque cum altero *ſimplici ſputo cruento*, nullo modo conferri poteſt *hæmoptyicum* periculum. Si tamen etiam *ſputum floridè* cruentatum paulo copioſius erumpat, citra inſignem aliquam cauſam, aut *infundibuli* mittentis ſuſpicionem firmam, non caret metu, ſiquidem revera *hæmopticum* illud eſt; & copioſiorem impetum ſucceſſurum minatur.

§ XVIII.

Nequaquam etiam confundenda eſt *Hæmoptyſis*, cum *Vomitu cruento*; quo ſangvis ejicitur grumoſus, & fere magis nigricans, ſine *tuſſi*, ſed cum actuali *motu ventriculi* vomitorio.

§. XX.

Ad *cauſarum* campum devoluti; pro cauſa *materiali*, agnoſcimus ſanguinem *abundantem*; licet alias ſatis naturaliter conſtitutum; ſed, *orgaſtice* præcipue commotum,

&

& ſic vaſorum pulmonalium *diæreſin*, per nimiam *extenſionem*, producentem.

§. XX.

Efficientem cauſam, in noſtro præcipue caſu, & circumſtantiis allatis, ipſam *Naturam* eſſe exiſtimamus: Bona quidem intentione *generali*, *Plethoræ* imminutionem quærentem; *ſpecialiter* verò, in electione *loci* & *organi* minus commodi *errantem*: Alia vero ratio eſt *hæmoptyſeos*, à causâ magis externa *violenta* concitatæ; quæ tamen reverâ, niſi ab impetuoſiſſimis ejusmodi cauſis (v. g. *concuſſione* pectoris graviſſima, ab *oneribus* illapsis,) longe minus frequens eſt, quam noſtra magis *ſpontanea*, taciturna. Interim talis etiam, licet primâ vice non ſit *naturæ* effectus; ſi tamen in corpus *plethoricum* inciderit, & paulò copioſiorem evacuationem induxerit, ſatis facilè alia vice rurſus cooritur, etiam ipſo â nobis allato ſenſu, nempe â *naturæ* per hanc viam ſeſe exoneraturæ *molimine*.

§. XXII.

Diximus modo, *errare* naturam quadantenus in hac *incommoda* ſpecie evacuationis ſuſcipienda. Certe enim nulla hæmorrhagiarum, ex quacunq; corporis parte procedat, *periculoſior*, & curatu difficilior exiſtit, quam illa, quæ fit ex *pulmonibus*; eo enim eſt *periculoſior*, quo nobilius eſt organum affectum; *pulmones* enim adeo teneræ ſunt ſtructuræ, ut nullum viscus difficilius reſarciri poſſe credamus: difficilioris enim eſt curæ illorum læſio, propter *continuum* in quo pulmones conſtituti ſunt *motum*, per reſpirationem enim, fere ne momentum quidem ceſſantem veſiculæ pulmonales, una cum vaſis pulmonalibus interpoſitis, conquaſſantur, & concutiuntur, ut fere impoſſibile, aut ad minimum conceptu difficillimum ſit

 quo-

quomodo læſionis harum partium *conſtans* conſolidatio, ſperari poſſit.

§. XXIII.

Occaſionales cauſas, conſtituunt, in noſtro quidem patiente I. *Hæmorrhagiæ narium* ſuppreſſio; hac enim aſſveta, iterumque ſubſiſtente, natura nihilominus intentionem ſemel ſibi præfixam, & aliquoties jam in conſvetudinem delatam, *depletionem* nempe & excretionem ſangvinis, continuare conatur. II. Prægreſſa *concione*, vocis nimia exacerbatio, qua tunica interna aſperam arteriam circumdans, magis *tenſa*, & tenſione, tanquam ſenſu moleſto *tuſſis* producta fuit, mediante qua ſangvis *commotus*, & attenuatus, prorumpens, eo facilius e pulmonibus excerni potuit. Maximè vero ipſa *pulmonum*, per elatiorem vocem, vehementior *tenſio*, & ſangvinis inter eorum veſiculas, preſſio, imo in genere agitatio. Quo quidem nomine teſtimonium perhibet experientia, quod ſub reliqua qualicunque ad *hæmoptyſin*, *diſpoſitione*, officia illa, quæ frequentiorem & intenſiorem uſum *vocis* una poſcunt, tanto promptius actuali mali hujus eruptioni, obnoxios reddant patientes.

§. XXIV.

Nec plane ultimum inter has cauſas locum obtinebit *Temperamentum*, *Cholerico-ſangvineum*; quod naturaliter ſangvinem poſſidet *attenuatum*, particulis *volatilibus*, *ſulphureis*, & facile mobilibus inſtructum; qui eo facilius tam per vehementiorem commotionem, & *expanſionem*, quam aliquali ſuſpecta *acrimonia*, vaſorum inter pulmonum veſiculas decurrentium, *diæreſin*, producere, aut ſuſtentare poteſt.

§. XXV.

Prognoſin quod ſpectat, plerique omnes Medicorum ab

ab experientia teſtantur *Hæmoptyſin* omnium hæmorrhagiarum eſſe *perieuloſisſimam* , & maximè ſonticam; ex qua *Phthiſis*, aut Pulmonum irreparabile ulcus facillime ortum ſuum trahere poſſunt. Ægrum tamen noſtrum melius ſperare adhuc jubemus, maxime inde, quod *natura* ita plane *exquiſite* & *periodice* agens, etiam occluſionem reſeratarum partium adhuc majore curâ & fide agere videatur: cum contra in magis *tumultuariis*, *incertis*, *vehementibus*, ejusmodi moliminibus, contrarium valeat, & tum facilior *ſtaſis*, tum certior inde *corruptio* ſuccedere ſoleat.

§. XXVI.

Ad ipſam nunc properandum erit *Therapiam*; quæ ex triplici fonte medico deſumitur; & tam *curative* quam præſervative inſtituitur.

§. XXVII.

In *paroxyſmo* tres conſiderandæ veniunt indicationes I. Sangvinis derivatio vel revulſio ad alium locum, II. Motus ipſius orgaſtici, & ſi qua ſubſit acrimoniæ contemperatio: III. Vaſorum pulmonalium læſarum roboratio, & conſolidatio.

§. XXVIII.

Prima harum indicationum impetrabitur *Venæ Sectionis* adminiſtratione, quam vel in brachio vel in talo ad *Unc. IV. vel V.* pro quantitate ſangvinis jam excreti inſtituendam commendamus. Si tamen jam multum eruperit, etiam parcior, ad *Unc. 3.* ſufficere poteſt. Nihil tamen magnoperè conducunt, niſi *in paroxysmo fere* ſuſcipiantur: ſi inter paroxysmos ſuſcipi debeant, magis *præſervative*, in initio præcipuè adhuc eruptionis, niſi largior, parum efficax eſt.

§. XXIX.

Inter taliſmodi derivationes, nequaquam negligendæ ſunt partium extremarum fortiores ligaturæ, ac frictiones cum manu, vel panno, læviore quidem, linteo, ſed fortiori preſſione: his enim mediantibus, major ad has partes ſangvinis oritur affluxus. Notandum tamen, minus proficue applicari, priusquam ſufficiens ſangvinis quantitas vel hæmoptyſi ipſa, vel Venæ Sectione evacuata fuerit.

§. XXX.

Altera obtinetur maximè *Nitroſis* & *abſorbentibus*, *cinnabariſatis*, qualia ſunt *Oculi* 69, *Mater Perlar. Corall. rubr. ppt. Nitrum tabulat. Arcan. duplicat. Sal polychreſt. Glas. Tartarus Vitriol:* &c. cui ſcopo ſequens inſervire poteſt formula.

℞. *Ocul. 69. ppt.*
Corall. ppt. à Scr. ß.
Matr. Perl. ppt.
Arcan. dupl.
Tart. Vitriol. à Sr. I.
Nitr. tabul. à Scr. II.
Cinnab. ant. vel nat. Scr. I.

M. Div. in 6. p. æq. de quibus patiens ſingulis vel binis horis capiat unam doſin.

§. XXXI.

Eadem ratione optime conducunt *Emulſiones*, ex *amygdalis*, *pineis*, *Seminibus*, & *aquis diapnoicis* concinnatæ, ſufficienter *edulcoratæ*; de quibus patiens, tam ad ſangvinis contemperationem, quam virium refocillationem cochlear unum vel alterum ſumat

§. XXXI.

§. XXXII.

Tertius denique *ſcopus* impetrabitur per *adſtringentia* & *balſamica*, gradatim *alterantibus* remixta, vel ſubjuncta: qualia ſunt ipſa *Corall. rubr.*, *Oſſa Sepiæ ppt. Solutio Vitriol. mart. ex Hasſiaca minera*, *Tinct Succin. Balsperuv. Spec. de Hyac.* ut & ipſe *Hyacynthus ppt.* & *Smaragd. ppt.* genuinæ tamen gemmæ orientales, parvis etiam doſibus commendantur ab experientia â D. D. Præside: *Uſneæ cranii humani*, quam alii extollunt, experiundæ nondum fuit commoditas: *Olei Lini*, quod poſt antiquos etiam recentius in *act. Nat. cur.* laudatum eſt, nulla inſignis efficacia hactenus reſpondere voluit.

§. XXXIII.

Alia vero adſtringentia fortiora, v. g. *Croc. mart. adſt. Lap. Hæmat. Bol. armen. Terr. Sigill. Sang. Dracon. Rad. Biſtort. Torment. Terr. Catechu*: & ſimilia, uti non niſi in ſummo neceſſitatis caſu â nobis in uſum trahuntur; ita in noſtro patiente exulare jubemus, propter noxam, quæ ex illorum repentina adſtrictione, circa reſpirationem, & ſtaſin portionis extravaſatæ, oritur.

§. XXXIV.

Opiata quantum poſſibile fugimus, cum eorundem efficaciam in pectoris affectibus, vix vllam effatu dignam, imo potius velut ordinaria incommoda inde obſervaverimus. Locum vero concedimus *M. P. de Cynogl.* præcipue ubi fortior eſt excusſionis impetus, cujus efficaciam præcipue in parvis etiam doſibus, præ omnibus aliis *opiatis*, in hoc genere commendat D. D. Præses.

§. XXXV.

In pertinaciore affectu ubi & ſatis largiter, & repetitis eruptionibus *hæmoptyſis* talis urgebat poſt minus proficuum

cuum uſum, *ſub-& adſtringentium*, efficaciter exhibita fuit doſis Medicamenti *Alexipharmaco diaphoretici*, ut intentione, ita efficacia quoque æquabilis diſcuſſionis, cum hæmoptyica illa eruptione magis ſuſtentetur â ſpeciali, verſus pectus, reſtrictione atque congeſtione. Reſpondit omnino effectus votis.

§. XXXVI.

Celebrant authores contra hæmoptyſin *Succum Urticæ*, prout de illius efficacia præcipue teſtimonium perhibet *Borellus in observ.* Sed cum ita prompte & efficaciter experimentum ſuccedere nobis hactenus renuerit, non poſſumus illud abſoluta commendatione condecorare. Paulo plus vero efficaciæ aliquot experimentis deprehendiſſe aſſerit D.D. PRÆSES, ex alio *ſympathetico* medicamento, *tempeſtive*, quod quidem in talibus fere palmarium exiſtimat, adhibito, de quo forte, & ſub majore experientiæ confirmatione, alias plura.

§. XXXVII.

Curativis jam indicationibus pertractatis, ad *præſervationem* in futurum tranſitum facimus, quam certius & conſtantius obtineri dubitamus, niſi *Plethoræ imminutione*, per *V. S.* vel *Scarificationem*, & medicamentis ſanguinis *Orgasmum* contemperantibus; *tonum* etiam partium *naturalem* magis & *æquabilem* inducentibus, præmiſſis vel ſubjunctis *alvum leniter ſubducentibus*, ſucurratur.

§. XXXVII.

Inter medicamenta huc facientia, laudat D. D. PRÆSES moderato uſu *Salia volatilia urinosa.* Eſt ipſi hoc nomine familiaris mixtura ê *Tinct. acri Salis Tart.* vel *Antim.* cum *Spir.* C. C. *rectif.* Utitur hâc efficaciter etiam ipſa *hæmoptyſi leviori*, ut & in declinatione, aut facta co-

hi-

hibitione ejuſdem: cum etiam præſervative, Effectum magis *tonicum*, motus roboriſque fibrarum, eſſe conſtet, quam materiæ alicujus in humoribus *alterativum*.

§. XXXIX.

Diæteticum deinceps plurimum pro hoc ſcopo exhauriamus fontem, ubi primo æger noſter temperatum inter calidum & frigidum ſibi eligat aërem.

§. XL.

E *cibis* commendamus, lenes, tenues, & glutinoſitate donatos: quales ſunt *Cremor hordei*, *Oryza* lacti incocta, *Pulmenta ex Milio*, *Avena*, *Amygdalis*, &c. *Portulaca*, *Endivia*, *Cichoreum*: carnes *agninæ*, & *vitulinæ*.

§. XLI.

Potus *ordinarius* ſit Cereviſia tenuis bene cocta, *extraordinarie* vero præſcribimus *Aquam hordei*, *Emulſiones dilutas*, *Lac ebutyratum caprillum &c.*

§. XLII.

Omnia vero *acria*, *calida*, *aromatica*, & nimiam ſangvinis *turgeſcentiam* inferentia, ut & pure *acida*, pejora agnoſcimus.

§. XLIII.

Motu & quiete, moderate utatur, ne in uno vel altero excedat.

§. XLIV.

Animi pathemata, ſangvinis etiam commotionem concitantia, totis viribus effugere conetur.

(o)

NOmen, COSCHWITI amas ære perennius,
Quod non livor edax, invidia aut furens
Poſſit deterere, aut innumerabiles
Phœbes interitus, & fuga Delii.
Per TE nulla cadet, multa ſed integra
Stabit pars hominum: Laude nepotibus
Creſces usque recens: dum geminum polum
Scandet cum radiis Cinthius aureis,
Dicere arte potens: Sume LICENTIAM
Quæſitam ſtudiis, quæ TUA laureis
Cinget pro merito tempora frondibus.

Ita Nobiliſſ. DNO. CANDIDATO gratulatur.

FRIDERICUS HOFFMANNUS, D.P.P.

COSCHWITZI, Medici Docti Patris æmule fili,
Ingenio, Studioque probo, ſuperare labores
Difficiles artis Medicæ connixe, per annos
Hos aliquot: ceſſit ſtudium tibi deniquè fauſtè,
Ut meritò capias & honorem, & jura medendi:
Ipſe DEUS faxit, felici Praxeos uſu,
Ut fructum capias operæ ſeduliq; laboris,
Eximium, cum laude DEI, ægrorumque ſalute.

Nobiliſſimo Domino Candidato
gratulabundus ſcrib.

Præſes.

TE non incaſſum tempus triviſſe, peritum
Approbat hoc ſpecimen, Dulcis Amice, *tuum.*
Conatus collaudo tuos, DEUS ipſe juvabit,
Præmia quo capias uberiora breui.

In amicitiæ monumentum
ſcripſit.

J. P. G. M. L.

SAngvinis effrenes fluctus ſedare quòd audes
Qui *Juvenis* tentant *ætatis* pectora vaſta:
Applaudo! pergas & fictos vince ſapores
Maxima, quo humorum motus, ut cauſa triumphent.

His Nobiliſſ. Dn. Candid. amico æſtumatiſſimo acclamat

JOH. DANIEL GOHL, Med. Lic.

Aſcendens cathedram de *ſputo ſangvinis* apte
Diſſeris, ut fructus, præmia magna, feras.
Gratulor his auſis, SUMMUS, qui regit Olympum,
Sit Tibi propitius, cunctaque cœpta beet.

MARTINUS SCHUMACHER, Med. Cand.

MAgnus Apollo venit cum Muſis atque Minerva,
Ut cingat lauro tempora docta Tibi,
Et meritò! quoniam proponis per tua ſcripta
Sangvineum ſputum quâ ratione fluat;
Sic compenſantur noctesque diesque labore
Conſumpti, in ſtudiis artis Apollineæ.

Hæc paucula Nobiliſſ. atque Doctiſſ. Dn. Candidato Fautori ſuo, & amico æſtumatisſimo apponere debuit

PHILIPPUS HENDSCH, Palat, Med. Stud.

AD NOBILISS. atque DOCTISS.
DN. DOCTORANDUM.

VIctor habens Palmam, lætus ſua gaudia gaudet.
Felix optatum navita perveniens
Ad portum, exultat merito: ſua gaudia gaudent
Curſores metam qui tetigere ſuam.
Sangvinei oſtendens docte quid *fluxio ſputi*,
Oſtendis metam *Te* tetigiſſe *Tuam*.
Ergo *Tibi* merito gratulor *Tua* gaudia gaude.
Nam *Tibi mox lauro cinget Apollo caput.*

FRIDER. CHRISTIANUS MÜLLER dictus WOHLHEIMER.
Manheimio Palatinus Phil. & Med. Stud.

TRansactis multis curis, quoque dignus honore
Es *Doctorali*, gratulor ergò *Tibi*
Ex animo, nec non opto *Tibi* quô benèdicat
proporrò ſtudiis NUMEN ab axe poli,
Sit tuus adjutor *Summus Dominus Dominorum*
In tota Praxi, quò benè cura fluat.

Hæc in ſignum amoris perpetui gratulabundus appoſuit

JOH. DANIEL HOFFSTADT,
Med. Stud.

(o)